

Nf 14



DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS

N O N A,

DE

PRIMA SPECIE  
JUSTIFICATIONIS,

QVALEM

VIR CLARISSIMUS,

PETRUS POIRETUS,

EX INGENIO SUO ἀντιγράφως CONFINXIT:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

die Septembr. hujus M D C C X X I anni,

PRAESIDE

D. JOACHIMO LANGIO,

S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.

ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,

RESPONSIONE PUBLICA

DEFENDIT

JOANNES ERNESTUS Biesel/

REGIOMONTANUS NEOMARCHICUS,

S. THEOL. CULTOR.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis JOAN. FRIDERICI KRÖTTENDORFFII, Acad. Typ.





Locus I. Oecon. Poiret. L. V. cap. VIII.

§. I. p. 511.



Justificationem factam subsequitur Justificatio, sive in hac, sive in futura vita. Que materia non minus utilis atque necessaria est, quam male intellecta: neque ego recte eam tradere potero, nisi ex animo deleam, quicquid de ea dixerunt Scholæ, vias Spiritus ignovantes, & nihilominus solo nomine omnia de- finire presumentes, quod scilicet literam occidentem legere & pronunciare sciant. Erunt qui in limite statim opponent (neque ea sola mihi movebitur difficultas) quamobrem animarum quarundam justificationem post mortem demum, uti videtur, & fortasse non ita brevi tempore post mortem, fieri velim? Respondeo, quoniam ita res est. At vero, inquierent, nonne extra controversiam est, & veluti communis quedam apud Christianos omnes notio, damnari & eterna morte perire, quotquot prius decedunt quam justificati sint & à peccatis suis absoluti? Respondeo, (parum sollicitus quid statuant) hoc quod extra controversiam ponunt, falsum esse; eosque solos mortis sue tempore eternam damnationem manere, qui, ubi decedunt in via, que ad Justificationem ducit,

*non inveniuntur; haud quaquam vero eos, qui viam istam ingressi, a termino ejus & ab ipsa justificationis possessione absunt tamen adhuc.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Prudens lector facile jam in antecessum ex ipsa ordinis inversione manifesta, qua purificationi, qualem auctor e peculiari hypothese usque ad statum post mortem extensam statuit, justificatio postponitur, quid hic ab ipso de Justificatione expectandum sit, poterit colligere. In regenerationem, ubi fides justificans accenditur, eam incidere & renovationem praecedere, supra Dissert. IV. Dodec. posterioris demonstravi.

2. In verbis: *que materia non minus utilis atque necessaria est, quam male intellecta*, Auctor lectoribus suis imperitis, aut credulitatis vitio laborantibus, fucum facit, ipsis persuasurus, se etiam isto intellectus errore haecenus laborasse, jam vero ab eo liberatum iri. Cum tamen, si ab Epicureo seu pratico hujus doctrinae abusu discesseris, jam inde a Christi & Apostolorum temporibus usque ad nostra haec, per singulorum seculorum decursum, nemo in ipsa thesi eam unquam pejus intellexerit & in scriptis publicis magis depravaverit, quam hic ipse Poiretus noster, qui tanta cum presumptione ejus restitutionem in integrum jactat. Certe hujus dogmatis corruptelae, quas in scholis pontificiorum deprehendimus, nullae quasi sunt, cum hisce Poiretianis comparatae; quemadmodum in progressu harum Dissertationum abunde constabit; & jam tum in antecessum ex iis potest colligi, quae auctor de *justitia Dei vindice*, de *peccatorum reatu*, de istorum per Christum facta *expiatione*, typica & antitypica, nec non

non de *fide justificante* statuit, & cum aliis huc pertinentibus momentis hactenus considerata sunt.

3. Et quanta non est Auctoris nostri *αυθάδεια* in hac periodo: *neque ego vobis eam tradere potero, nisi ex animo deleam quidquid de ea dixere scholæ, vias spiritus ignoventes & nihilominus hoc solo nomine omnia definire presumentes, quod scilicet litteram occidentem legere & pronunciare sciunt.* Cujus elati anatome sequentes requirit observationes:

- a) Scholas, quæ doctrinam de justificatione corrupte tradiderunt, & quidem sub tuenda orthodoxiæ specie, sive antiquiores sint, sive recentiores, ego adeo non excuso, ut ipsarum corruptelis ipse hac ipsa in doctrina *Antibarbarum* opposuerim.
- b) Scholas vero generatim omnes, quotquot a Burigniana & Poiretiana dissentiunt, damnare, documentum est præsumtionis pseudomysticæ, ea natæ in schola, cujus integritatem nullo adhuc argumento probavit Poiretus, nec post hac ullo, quod idoneum sit, ullus ipsius admirator inconsultus probabit.
- c) Utinam ipse Auctor in scholis olim rectius hoc ipsum dogma comprehendisset! Sic enim a tam audaci & plane *απαίδευτο* ejus impugnatione abstinuisset. Ipsi enim omnino accidisse videtur, quod aliis veritatis oppugnatoribus evenisse compertum est, scilicet quod in sua infectione ignorantiam haberit ducem. Hæc tamen ipsum nequaquam excusat, cum in doctrinæ, cui tanquam falsissimæ aliam & veram volebat opponere, fundamenta & præfidia curatius debuisset inquirere. Hoc vero non

solum non fecit, sed quidquid etiam olim rectoris  
 notitiæ hauserat, & examinare debebat, ex animo  
 delere maluit penitus.

- d) Quemadmodum Auctor per universam fere oeco-  
 nomiam suam minus honorifice & reverenter de Scri-  
 ptura sacra loquitur & sentit, nec eam, quod sciam,  
 unquam *verbi divini* nomine dignatus est, sed hac ap-  
 pellatione semper Christum intelligit; sic hoc loco  
 fati abjecte universam Scripturam, & imprimis par-  
 tem ejus Evangelicam, cujus centrum est in doctri-  
 na de justificatione, vocat *literam occidentem*, ejus  
 scrutatoribus generatim obiciens, quod solo isto  
 occidentis literæ nomine uti alias, sic in hoc etiam  
 dogmate, omnia definire præsumant. Atque ita tra-  
 ctationis suæ exordium auctor singulari cum *ἀνορθω-  
 τή* fecit ab accusatione & contemptu dissentientium,  
 pseudomystici sui ingenii documento dato haud ob-  
 scuro.
- e) Quod si quis Pireti discipulus adhuc dubitat, aut  
 negat, magistrum suum etiam hac in parte errasse,  
 ipsum per salutem ecclesiæ & suam ipsius (neque e-  
 nim levicula, de qua agitur, res est) coram Deo  
 hic publice rogo & obtestor, ut Dissertationis meæ  
 in posteriore hac Dodecade quintæ, qua sensum ju-  
 stificationis forensis e scriptura evangelica, quam  
 Piretus perperam *occidentem* vocat, adstruxi, exa-  
 men suscipiat, & tentet, utrum isto dogmate solide  
 refutato Piretum suum adversus illud tueri possit.  
 Neminem provoco ad inanes contentiones; sed  
 hermeneuticam postulo demonstrationem, quali ip-  
 se usus sum, nullo plane humanæ auctoritatis sub-  
 sidio



fidio adhibito. Cum oeconomiae Poiretianae admiratores scholae Burignoniae & Poiretianae suum addixerint obsequium quam lubentissime, cur dogmati apostolicae scholae, quam unice secutus sum, non saltem examen adhibebunt? Exspecto, quid futurum sit, inprimis ab iis, qui Dissertationes meas Anti-Poiretianas adhuc tam indigne tulerunt.

4. Haec ad locum primum. Reliqua de *purificatione* ab auctore in eodem repetita ex iis, quae Dissertatione antecedenti dicta sunt, possunt dijudicari.

## Locus II. ibid. p. 512.

*Quandoquidem miris quibusdam ideis animi hac in re occupentur, & hoc verbum Justificationis non eodem sensu assumant omnes, qui passim de ea loquuntur, ego hoc quicquid sit, exacte dilucidare conabor. Atque ut lectoris attentionem, quae variarum rerum ad rem non facientium intuitu impediri posset, quam fieri potest minime distraham, justificationem non consideraturus sum quatenus distincte in hac vita fiet aut post mortem demum. Sufficiet si universales quasdam veritates de ea tradidero, quas ad ea quae voluerit tempora & circumstantias applicabit quisque, inprimis vero ad tempus praesens, nisi scubi contrarium in loco monebitur.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Quis prudens lector hic non eam auctoris nostri praesumptionem mirabitur, qua universam doctrinam de justificatione novo plane & antea nunquam audito labyrintho involuturus, eamque, quanta est, totum depravaturus, jaecat, se conari eam exacte dilucidare.

2. Et

2. Et hic obseruemus documentum *αυριβίας*, quam præ se fert auctor, mathematicæ in hoc suo proposito. *Conatur hanc doctrinam a miris aliorum ideis liberatam exacte dilucidare, & tamen simul statim negat, se justificationem consideraturum esse, quatenus distincte in hac vita fiat, aut post mortem demum, caussatus se lectoris attentionem minime distracturum.* Id quod si non est in turbido, quod dicimus, piscari, quæro quo nomine appellanda sit hæc tractandi ratio? Certe enim scholæ apostolicæ tradunt justificationem, *quando & quomodo distincte in hac vita fiat*: a qua doctrinæ methodo quando abhorret schola auctoris mystica, se pseudomysticam esse, aperte fati prodit. Et huc iste pertinet logogrîphus, quo momenta hujus doctrinæ præcipua, aut ea, e quorum tractatione fucus fieri posset manifestior, vocantur *res variæ ad rem non pertinentes.* *Universales*, vero istæ, quæ promittuntur, *veritates* cujus sint generis, nunc videbimus.

### LOCUS III. §. II.

*Antequam de voce sermonem insinuamus, rei ipsius substantiam in naturali ordine, quo cum iis, quæ huc usque tractauimus, cohæret, videamus; ita enim essentia ejus & natura clarius intelligetur. Itaque totius rei conspectum paucis subjicio.*

*Deus hominem creauit, ut per gratiam ac charitatem sive per verbi sui lumen ac spiritus sui amorem in eoregnaret.*

*Homo peccat, & Deo se reddit indignum.*

*Jesus Christus intercedit.*

*Deus in ipso gratiam homini demeriti ac culpe ventam facit; lumenque suum & amorem ipsi varie tum intus, tum foris, iterum offert.*

*Homo*

*Homo per fidem resignationis respondet.*

*Deus vero lumine suo ac amore separationem puri ab impuro, perfectamque purificationem in eo operatur & absolvit.*

*Vides quos usque hactenus provecti simus. Itaque progrediamur.*

*Ubi divinum lumen (hoc est ipse Deus, uti sapius monuimus) ex anima tenebras ejecit, & flexuras ejus pravas delevit, peccatumque in ipsis cordis inclinationibus intimis extinxit, primum, quod in anima deinceps operatur, est, ut pure in ea & sine nubibus luceat: que proprio nomine illuminationis vocatur, & purificationem subsequi dicitur.*

*Hac illuminatione, status sui fundum ipsi detegente, fit ut videat nihil in se superesse, quod Deo displiceat condemnationemve mereatur; Omnia ibi iusta esse & reparata, seque amicam Dei factam, qui in cordis sui folio residens, ipsi declarat, quod perfecte ei reconciliatus sit, rex ejus sit, idemque pater, amicus ac sponsus; ipsaque proinde filia sua sit atque sponsa.*

### Disquisitio hujus loci

1. Quae auctor hic positione tertia de Christi intercessione post hominis lapsum facta repetit, sensus esse falsi & ab Apostolico abhorrentis, supra Dodec. prioris Dissertationibus ultimis ex instituto demonstravi.

2. Eadem etiam est ratio veniae, qualem auctor statuit, demeriti ac culpae respectu factae, quemadmodum ibidem ostensum est.

3. Quae fidei resignationis, secundum quam homo Deo respondere dicitur, nec non purificationis sit indoles, vidimus Dodec. poster. Dissertatione proxime antecedenti.

B

4. Sta-

4. Statum istum gradumque sanctimoniam & puritatis, quem purificatis & illuminatis tribuit Poretus, non nisi inanem mentis ideam fuisse, procul dubio auctorem suum ipsius exemplum docuit. Cum autem ipse, qui hæc scribens per plurimos jam annos versatus fuerat in exercitiis suis mysticis, ab isto purificatorum & illuminatorum fastigio quam longissime abfuerit, quo quælo nixus fundamento illud aliis ire poterit obtrusum, aut commendatum? non experientiam minus, quam ipsius Scripturæ sacræ præsidii plane destitutus? Et huic tamen hypotheseum arenæ is dogma suum de justificatione superstruit.

### Locus IV. ibid.

*Hæc Dei in anima operatio, hæc, quam divino suo lumine ei facit, declaratio, nihil in anima superesse quod Deo displiceat, quod non justum sit atque rectum, vera demum est JUSTIFICATIO sensu maxime proprio, quantum eam anima conditionem dicit, quæ vite æternæ admittendæ proxima sit, eademque immediata scaturigo plena & absolute pacis & reconciliationis cum Deo percipiendæ: Quæ justificatio suis coloribus optime exhibetur à spiritu S. in hæc verbis, quibus animam compellat in Cantico Salomonis (c. IV. v. 7.) Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Antequam hæc declaratio facta sit, dicendum ei erat cum Paulo, utcumque illa in purificatione proficisse sibi videatur: (1. Cor. IV, v. 4.) Etiam si nullius (culpæ) conscia sim, non tamen id circo justificata sum. Ea verò facta subjungit: Dominus est, qui me justificat. Et sane Dei ipsius iudicio atque declarationi secure stare poterit,*

rit, eique conq̄uiescere: ille enim mentitur nunquam, quod cordi hominis fallaci & fraudulento familiare est.

Disquisitionis hujus loci.

1. *Eam Dei operationem, eam declarationem, nihil in anima quoad ipsam inhaesionem (de qua hic sermo auctori est) superesse, quod Deo displiceat, quod non justum sit atque rectum, veram demum esse JUSTIFICATIONEM* (voce hac majusculis litteris emphaseos causa expressa) sensu maxime proprio, error est decumanus, novum plane evangelium, cujus nullum in scriptis prophetarum & apostolorum vestigium existat, & quod ipsis potius e diametro repugnat, satis temerarie procedens. Ad quam Evangelicam doctrinam mutandi, detorquendi, ac depravandi audaciam si non cohortescunt Poirertianorum dogmatum aestimatores, sane non simplex eos tenet credulitatis praedictum, sed stupor; stupor Theologis *γνώστος* mysticis, quales sunt omnes vere evangelici, nequaquam conveniens.

2. Nec quidquam Auctorem juvat locus e cantico Salomonis allegatus: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te c. IV, 7.* Hic enim locus libri allegorici allegorici non interpretandus est ex hypothese pseudomystica, commisso petiti principii sophismate; sed e scriptis prophetarum & apostolorum dogmaticis. Haec vero consulta docent, eam sponsae mysticae innocentiam & puritatem, quam ipsi Salomon tribuit, sensu primario pertinere ad justitiam Christi fide apprehensam & imputatam, cum subordinato respectu ad eam vitae justitiam, quae dominantis labis est experta. Ut acta nunc agam, seu abunde jam probata & longa

argumentorum e Scriptura deductorum serie confirmata hic repetam, superfluum esse arbitror, cum lectorem meum ad Dissertationes Dodec. prior. V. VI. VII. VIII. nec non ad eas Dodec. poster. quæ ordine quinta, sexta & septima est, remittere possim.

3. Nec plus præsidii auctor habet in loco Pauli 1. Cor. IV, 4. *Etiamsi nullius culpe conscius mihi sim, non tamen ideo justificatus sum. Dominus est, qui me justificat.* Nam a) falsum est, Paulum cum hæc scriberet, nondum fuisse justificatum. Se enim cum reliquis neophytis omnibus in prima conversione justificatum fuisse, *πρῶτον* indicat in epistola ad Romanos c. V, 1. in sequenti epistolæ serie multis modis testificans, se loqui de justificatis, in quibus omnino adhuc supersint peccata magis magisque expurganda. b) Falsissimum est, Paulum verba ista posteriora: *Dominus est, qui me justificat*, hoc sensu a prioribus sejungere, ut prioribus negaverit justificationem factam esse ante purificationem, posterioribus autem eam purificationi subjunxerit. Ubinam enim vel minimum hujus sensus vestigium est in loco Pauli? c) Quid? quod Paulus ne dixerit quidem: *Dominus est, qui me justificat*, sed: *Dominus est, ὁ ἀναψῶν με, qui me judicat.* d) Sensus integri loci pro *συνεφέεια* sua & scopo Pauli consideratus hic est: Ego quidem munere Apostolico adhuc ita functus sum, ut nullius mihi neglectus aut malefacti, quod reprehensionem ab hominibus mereatur, conscius sim: at ista mea innocentia meæ conscientia non sufficit coram Deo, quasi nec is aliquid in officii mei administratione, quod juste reprehendere possit, depre-

prehendat, sed me a defectibus omnibus immunem pronunciet. Sic nequaquam de me sentio: *ὁ δὲ ἀναγνώσων με, κύριός ἐστιν: qui autem me dijudicat multo perfectius ac ego ipse & alii homines, Dominus est, cujus dijudicationi me demisse permitto.* e) Hinc liquet, locum hunc textu, contextu ac scopo plane invitis ac repugnantibus ab Auctore ad dogma suum e scriptura probandum applicari.

### LOCUS V. §. III.

*Paucis absolvi possent ea, quæ in multis operationibus Dei ac hominis supersunt, nisi presenti materie nonnihil in-herendum foret, quippe præjudiciis multis involutæ, quæ optarem equidem ex piis animis dissipare. Paucis alioqui demonstrare liceret, declarationem alteram, quæ prima, quam diximus justificam, adhaeret, & qua Deus anime amicitiam suam paternam declarat, testando quod ipsa filia sua sit, ipsam, quam vocant, adoptionem esse: Ubi vero Spiritus S. qui in anima cum imperio habitare incipit, justitiam eam atque integritatem, quam actu in ea reparatam voluit, inducto habitu corroborat, puritatemque ejus fidem ac virtutes confirmat & auget, aliam quandam fieri justificationem, de qua Deus loquitur, (Apoc. XXII. v. u.) Is qui justus est, adhuc magis justificetur. Ubi vero idem Spiritus imperans novam animæ formam conciliat, regenerationem fieri; ac eam tum agendi modos imprimit, regenerationem fieri; ac eam quæ ex hisce resuliant, fructus esse Spiritus S. Denique Spiritum Dei, ubi deinceps novum hoc opus suum examini glorioso & ultimo subjecit, subsequi glorificationem, postquam anima perseveravit; ea vero sibi non constante, peccatum*

*ab ea incurri quam maxime fieri potest contra Spiritum S. malum tantum non insanabile. Verum particularis harum rerum expositio nonnihil differenda erit, donec ea tradiderimus, quæ dissipandis difficultatibus in justificatione occurrentibus necessaria ducimus.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Auctor doctrinam de justificatione præjudiciis multis, quæ vocat, evoluturus, iis eam adeo involvit, ut ante ipsum, quod sciam, nemo alius unquam. Eaque e piis animis dissipaturus iisdem ita inferit, ut singularis sanctimonix, quam stilus, aut scopus præ se fert, specie in transversum agantur. Cujus rei experientiam testem allego satis tristem.

2. *Infusio justitiæ*, seu novarum virium, quibus instructi justificati juste possint vivere, nequaquam negatur a Theologis evangelicis; sed ea a justificatione distincta, nequaquam vero sejuncta, ad regenerationem, partim etiam ad renovationem refertur. Nostro autem auctori ea est ipsa justificatio.

3. Ad locum Apoc. XXII, 11. *is qui justus est, adhuc magis justificetur*, quod attinet, eo pro hypothese sua nihil plane lucratur auctor. Etsi enim in eo verbum *justificandi* de inhærentis justitiæ incremento accipiatur, inde tamen nequaquam sequitur, illud etiam in reliquis scripturæ locis omnibus, invito plane & repugnante contextu, hoc sensu esse accipiendum. Nec quidquam obstat, quominus etiam hoc in loco verbum *justificandi*, de justificationis continuatione, qualem penitentix quotidianæ praxis exigit, secundum illud præcationis Dominicæ: *Remitte nobis debita nostra*, commode intelligatur.

4. Quæ



4. Quæ hic auctor de regeneratione tradit, parum convenire cum illis, quæ de ea alias ex instituto scribit, e Disput. IV. Dodecad posterioris liquet. Reliqua allegati loci discussione haud egent.

### LOCUS VI. p. 414.

*Si sacrae literæ vulgoque nostri temporis homines vocem hanc nonnisi sensu suo proprio adhiberent, quatenus scilicet conditionem proximam dicit, quæ æternæ vitæ jus ac possessio acquiratur, itemque scaturiginem immediatam, ex qua pacis cum Deo factæ sensus certius emanet, pauca ista, quæ modo de ea attulimus, sufficerent sane, quandoquidem ea, utcumque pauca, rei substantiam inde a prima origine sua exponunt. At vero tum sacrae literæ, tum homines ipsi, hæc verba justificare & justificari sensu latiori nonnunquam accipiunt, & hi quidem, homines intelligo, perniciose plurima & falsa idæ, quam de justificatione sibi comminiscuntur, involvunt. Nostrum itaque erit illa si pote extricare & discernere. Scriptura sacra quandoque verbo justificandi, & similibus ita utitur, ut respiciat jam ad hanc, jam ad aliam operationum Dei occurrentium in toto, quod Deo cum homine est, negotio, inde ab illa operatione, quæ indignitatis suæ ipsi veniam concessit, usque ad plenam ejusdem justificationem: atque ita sit, ut quandoque ubi a Deo hominem justificari dicit, intelligat, in eo operari Deum quicquam, quod ad justificationem hominis necessarium sit, sive quod eum per viam illam, quæ in perfectam justificationem terminatur, deducat. Homines vero vocem eandem vel æque late, vel minus late accipiunt, prout alii atque alii parti addicantur: omnes tamen eo fere redeunt, ut per justificationem intelligendam*

*dam velint declarationem eam, qua Deus anime testatur ipsam esse justam: Et hic quidem inter se disputant, ut sciant, qua ratione id fiat, & quomodo anima affecta esse debeat, que justificari possit? Qua in re tum vocis ambiguitas, tum tenebræ, in quibus versantur, mille producunt monstra, que disputatores nostros non minus periculo involvunt, quam blanditiis suis & grata specie delectant.*

Disquisitio hujus loci.

1. Verbis de sensu verbi justificationis proprio, quatenus conditionem proximam dicat, qua eterne vitæ jus ac possessio obtineatur, & quatenus scaturiginem notet immediatam, e qua pacis cum Deo factæ sensus certus emanet, non sicut auctor revera quasi ludit. Cum enim hæc ipsa phraseologia recte accepta notioni forensi quam optime conveniat, eam de justitiæ infusione usurpat.

2. Quia ipsa dogmata mutat novatque auctor, res ipsi levicula est, etiam phraseologiæ sensum mutare. Quod ut cum veri specie facere possit, ad sensum proprium & forenses respiciens, scribit, *homines perniciose plurima & falsa idea, quam de justificatione sibi comminiscantur, involvere.* E contrario autem commentis suis pseudomythicis nescio quam extricandi facultatem tribuens: *Nostrium, inquit, itaque erit illa, si pote, extricare & secernere.*

3. Cum auctor noster per universam suam oconomiam abunde prodat, se plus operæ in scriptorum mysticorum, & speciatim Burignonianorum, lectionem ac meditationem insumfisse, quam in Scripturam sacram & hermeneuticum ejus studium, non est mirum, idem ipsam etiam hoc loco, ubi de sensu scripturæ

pturæ in dogmate de justificatione disputat, confirmare. Quæ sit genuina & constantissima loquendi ratio, scripturæ sacræ in hoc dogmate usitata & per copiosam synonymiam declarata, supra Dissertat. V. demonstravi.

4. Omnes fere in eo convenire, ut per justificationem intelligant declarationem eam, qua Deus anime testatur, ipsam esse justam; verum quidem est; at sub hac veri specie auctor insinuat errorem suum de justitia non imputata, sed infusa: & ad hanc hujus erroris insinuationem ipsa illa locutio: anime testatur, ipsam esse justam, captiose adhibita est.

5. Quandoquidem vero non ignorabat, sibi hic adverso eundem esse flumine, & se propugnare notionem a notionem locutionis biblicæ & ecclesiasticæ alienissimam, lectoris sui attentionem & assensum sibi paravit per convicia in rectius sentientes, ut eorum sententiam ipsi invisam redderet, conjecta, ipsos tenearum, in quibus versentur, & nulle monstrorum, disputationibus suis procursorum postulans, ficto simul periculo, cui una cum blanditiis suis grata specie delectantibus involvantur. Audiamus nunc porro Auctorem nostrum.

### LOCUS VII. §. V. p. 514.

Ut tricas has omnes expediamus, observabimus, verbum hoc justificare, ejusque derivata, respondere alteri illi accusare; unde quemadmodum vox accusare demeritum necessario seu quicquam incongruum prius ponit; ita vox justificare integritatem involvit seu congruum quicquam & relictum. Denique uti cum quis demeriti alicujus seu incongrui

C

inde-

*indecentiæve accusatur, oportet ut accusationis ejus fundamentum adsit; ita & nemo justificari potest per declarationem integritatis, quæ in eo esse dicitur, nisi etiam ejus fundamentum adsit. Applicemus ista nunc ad omnia, quæ in negotio salutis, jam inde a lapsu hominis usque ad ejus glorificationem sunt: inveniæmusque in iis quatuor aut quinque dari justificationis modis, aut si voles periodos seu actus, sive alio quomodocumque eos appellare volueris.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Verbum *justificare* respondere alteri illi *accusare*, immo non *tam* *accusare* solum, sed etiam *tam* *condemnare*, verissimum est, & ex hac ipsa oppositione notio verbi istius forensis illustrata confirmatur; quemadmodum supra Dissert. V. demonstravi. Sed auctor noster simulato sensu forensis usu ad alia omnia abit, imperitose lectore sic in errorem actus. Id quod ut cum majore veri specie facere posset, pro verbo *condemnare* in oppositione facta adhibuit verbum *accusare*, interpretationi suæ tortili isto convenientius visum.

2. Verbum *accusare* cum verbo *condemnare* conjunctum non solum *ponit demeritum aliquod, seu quicquam incongruum*, sed etiam *grande culpæ & reatus ad penam ducentis malum* indicat, & totum est forensis: atque ita etiam falsissimum est, *vocem justificare integritatem seu congruum quidquam & rectum*, nimirum nobis ex hypothese auctoris infusum, involvere. Notat enim forensis declarationem de isto culpæ malo per justitiæ alienæ imputationem penitus sublato, seu judiciale rei absolutionem: quemadmodum longa invictorum argumentorum serie supra Dissert. V. demonstravi.

3. Quæ

3. Quæ auctor de *accusationis & justificationis fundamento* addit, non nisi inhærens malum & bonum intelligens, ad principii petitionem recidunt.

4. Et cum vir doctissimus hætenus a se dicta pro sequentis sermonis fundamento haberi velit, ea nunc ad diversos justificationis modos applicaturus; videamus, quid nunc expectandum nobis sit, nimirum affectatæ, at ruinosæ, molis ædificium; utpote arenæ superstructum.

### LOCUS VIII. §. VI. p. 515.

*Principio, post hominis peccatum diabolus, aut quisvis alius, [neque enim refert quisquis ille sit, an conscientia ipsa, vel etiam Deus] hanc contra hominem accusationem instituebant: Homo iste indignus est, cui Deus lumen suum & bonum porro offerat. Fundamentum accusationis ejus est, quandoquidem Deum volens sciensque deseruit: & quod ad posteros ejus attinet, non convenit plus esse in effectu, quam in ejus causa. Hæc prima erat accusatio, eaque salutem hominis præcipue & maxime impediens: qua manente, salute potiri omnino erat impossibile. Ea itaque ut evanescat, oportet ut Deus sic pronunciet: Declaro, quod etiam homo in se indignus sit, cui ego gratiam meam offeram, ego tamen eum indignum non censeam: Ratio fundamentum continens est: Quoniam filius meus dilectus pro ipso intercessit, etiam atque etiam me obtestans, ut gratiam luminis mei & boni verum homini huic offeram, neque eam privatione illius punire velim. Et quia justissimum est, dignissimam filii mei intercessionem non repudiari, ita in ejus gratiam cum homine ejusque posteris acturus sum, quæ tanti merito preces ipsi mihi fecissent.*

## Disquisitio hujus loci.

1. Prima ista accusationis species, prætermisso reatu, tota composita est ad inherentem labem, quem admodum fert erronea Auctoris hypothesis, emendanda ad ea, quæ supra Dodec. prioris Dissertatione secunda, tertia & quarta de natura justitiæ Dei vindicis & peccati proposita & demonstrata sunt.

2. Conficta vero acculatio confictam parit gratiæ declarationem, cujus commendatione auctor tantum id agit, ut gratiæ infusionem inculcet, forensi absolutione, quæ alieni lytri exsolutione nitatur, plane prætermittitur, & alibi quam audacissime negata atque explosa. Vide Dissertationes posteriores Dodecadis priores.

3. *Intercessionem* Filii, quam hic Auctor allegat, non esse *ιδανον*, exsoluto lytro vicario nixam, sed tantum *suasoriam*, & a doctrina christiana alienissimam, supra allegatis jam Dissertationibus ex discussis ipsis locis evici. Et hoc ipsum hoc etiam in loco satis manifeste prodit, quando intercessionis nervum in *obestatione pro gratiæ infusione* collocat. Id quod est evangelium hac in parte plane novum prædicare.

Locus IX. *ibid.* p. 515.

*Cum in verbis nulla proprie sit differentia, abususque eorum impediri facile possit, si addatur, quo sensu accipiantur, dicamus, hanc primam justificationis speciem, ita ut hoc verbo justificationis comprehendamus vias omnes & operationes universas, quibus Deus hominem promovet ad salutem. Hoc in actu, modo recensito, accusationem vocare licebit, mali im-*

li imputationem: *accusationis fundamentum, est demeritum, fundatum in inhesionem mali. Dei vero declaratio, quod hominem amplius indignum non agnoscat, absolutio est, qua accusatio nulla sit: intercessio vero Christi, meritum est, seu iustitia: Christus enim meretur; & iustum est, ut intercessio ejus non rejiciatur, neque effectu suo careat. Quod vero Deus hominem, indignum, cui gratia offerretur, irarespiciat, quasi ipse tam dignis precibus intercessisset, ea est imputatio meriti & iustitiae Christi: cujus effectus est obligatio, qua actu ei gratia redditur. Vides hic, quae in primo hoc actu contineantur.*

#### Disquisitio hujus loci.

1. Vias & operationes in universum omnes, quibus Deus hominem ad salutem promovet, verbo justificationis comprehendere, & simul ad speciem ejus primam, confictis pluribus, referre, est sapere ἀρετῶν ὑπαρ-  
Φῆς.

2. Quamvis Auctor hic *mali imputati* mentionem faciat, ipsum tamen solum inhaerentis labis malum intelligere, negato malo *culpa* & *reatus*, res ipsa indicat, & Dissertat. IV. Dodec. prioris pluribus ostensum est.

3. Et merum fere lusum esse in vocibus *absolutio*, *intercessio*, *meritum*, *iustitia*, ex iis, quae hactenus observata sunt, praecipue vero e Dissert. IV. Dodec. prioris abunde liquet.

4. Quis vero hoc ipso etiam in loco non deprehendat sensum istorum vocabulorum ab Evangelio alienum, cum auctor iustitiam & meritum Christi ejusque imputationem ad solam intercessionem cum Socinianis referat, forensi satisfactione plane praetermissa & alibi negata, immo explosa.

Locus

## Locus X. §. VII. p. 516.

Nihil impedit, quo minus absolutionem eam, quæ primam hanc accusationem nullam facit, justificationem appellemus, modo ne vocis ambiguitate decepti, justificationi huic ea effecta tribuamus, quæ ipsi nequaquam competunt. Illa nondum efficit, ut homo Deo fiat gratus, neque ut salutis ille statum & jus recuperet: Minime gentium: sed hominem in eum statum restituit, in quo Deus ipsi gratiam suam per varia media offerat, quamdiu in hac vita superbes erit. Et quanquam peccatum (indignitatis & demeriti fundamentum) in ipso sit, Deus tamen gratiam suam non minus ipsi offert ac si non adesset demeritum: atque ita peccatum ejus dissimulat ejusque considerationem præterit. Hoc Paulus vocat (Rom. III. v. 25. 26.) præteritionem peccatorum admissorum, quæ Deus tolerat; hæc παράσις illa, quæ tot passim turbas dedit, utut Auctoribus forte suis ignorata. Idem Apostolus in Actis eandem vocat conniventiam Dei, quasi Deus homines intuitus visum dissimulare, & ad considerationem eam attendere non voluisset: (Act. XVII. v. 30.) Deus, inquit, tempore ignorantie dissimulato (ὁπερ ἰδὼν) jam omnibus ubique pœnitentiam offert: quasi diceret: Quanquam homines gratia & auxilio Dei indigni essent per tenebras ignorantie & vitiorum, quibus sese immerserant, Deus tamen hac indignitate eorum dissimulata, gratiam suam usque adhuc eis offerre dignatus est, & salutem eorum modis innumeris tum intus, tum foris quærere: idemque jam beneficium hoc incomparabile, & insigne privilegium addit, ut eandem gratiam purificationis & pœnitentie externa Evangelii prædicatione facta ipsis offerat.

Disqui-



## Disquisitio hujus loci.

1. Tota hæc Auctoris fermocinatio de quatuor justificationis speciebus est chimærica. Et hujus *εατολογίας* documentum haud obscurum prima ejus species in eo præbet, quod illa ex hypothesi ipsius *pondum efficit, ut homo Deo fiat gratus & salutis statum & jus recipiat.* Hoc enim ita negat auctor, ut perneget, addens: *minime gentium.* Ubinam hujus *νεσφωσίας* vel ullum est vestigium in Scriptura sacra?

2. E contrario *primam justificationis speciem habere pro restitutione in eum statum, in quo Deus homini gratiam suam per varia media offerat, quamdiu in hac vita superstes est:* quid hoc est aliud, quam naturam ex una parte plus justo deprimere; ex altera vero ita evehere, ut status ipsius naturæ pro statu gratiæ vendideretur? Et enim is omnium hominum extra gratiam consideratorum status nunc est post lapsum, ut ad salutem semet ipsos disponere non possint, sed præveniente & excitante gratia, quæ ipsis ideo etiam largiter offertur, egeant. Unde, qui statuit, homines in hunc ipsum statum demum per primam justificationis speciem restitui, is naturam deprimat multo magis, quam fas est. Et cum iste status, in quo nobis Dei gratia offertur, nil nisi ipsa natura sit, & tamen pro effectu primæ justificationis habeatur, revera natura venditur pro gratia. Quis hujus *νεσφωσίας* labyrinthum non videt?

3. Quandoquidem Auctor insignia Pauli loca Rom. III, 25, 26. in quibus cardo est doctrinæ de justificatione, pro hypothesi sua allegavit, nec vidit, ea sibi ipsi quam

quam maxime obfarcire, utpote quæ nonnisi unam nobis justificationem, eamque forensẽ, lytro Christi ἰλαστικῆ superstructam, commendant; certe non minus prodidit hermeneuticam, quam dogmaticam aberrationem.

4. Manifestum etiam est, Paulum Act. XVII, 30. de statu hominum mere naturali loqui. Quare quando auctor hunc locum iſti ad Romanos c. III, 25, 26. facit parallelum, istumque statum ad primam suam justificationis speciem refert, inextricabilibus sese nodis involvit, modo ut hypothesi suæ serviat, quantopere ejus ruinam promoveat ipse, non observans. Reliqua allegati loci verba nulla amplius dialysi egent.

### Locus XI. §. VIII. ibid. p. 516.

*Manifesto liquet, ea omnia a Deo & a Christo facta esse atque absoluta, antequam homo ulla ex parte interveniret, sineque omni ejus opera: peccatum quod ei & posteris ejus (qui originibus in eo peccatores sunt) inest, tum ei, tum illis remittitur, eatenus ut Deus gratiam ipsis suam ac bonum æque, ac si indigni non sint, offerat. Sed & perspicuum est, hoc non sufficere, ut homo reipsa salutem adipiscatur, quippe qui nisi accederent alia, variis ex causis aliis, ob quas in jus vocari potest, condemnandus esset.*

#### Disquisitio hujus loci.

I. Peccati quidem remissionem hic allegat Auctor, at nequaquam talem, quæ absolutionis forensis synonymum est secundum doctrinam apostolicam, supra Dissert. V. longa ferie deductam; sed eam, cujus respectus omnis refertur ad gratiæ conferendæ *infusionem*

*nem & peccati inhærentis expurgationem.* Quia enim in peccato non agnoscit *reatum*, sed solam tantum *labis inhæssionem*, vi hujus hypotheseos non potest statuere remissionem, qua reatus dematur.

2. Ceterum videmus hic repeti, quod justificatio hæc Poiretiana homini ad salutem non sufficiat, sed eum, tanquam adhuc condemnandum, relinquat. Quam doctrinæ novitatem vel indicasse, est refutasse. De reliquis justificationis speciebus, quales Auctor commentus est, sequentes agent Dissertationes.

Not. Hæc e L. VI. c. VIII. de justificatione nunc considerasse sufficiat. Reliqua itidem differam ad Dissertationes sequentes. Interea tamen intermittere non possum, quin hic, quasi appendicis loco, excutiam locum aliquem e monitis illis, quæ Cl. Poiretus L. IV. præmisit, & ad quem æstimatores ejus nimii provocant, inde probare contententes, injuriam fieri Auctori, si ipsi doctrinæ de satisfactione & justificatione forensi, genuino & saniore sensu intellectæ impugnationi, rejectio & explosio tribuantur. Videbimus ergo, quid locus ille in recessu habeat, ideo huc ad verbum transferendus.

### Monit. II. de contentis L. IV. fol. b. i.

*Repeto, ne quis sibi hic anxie difficultatem figat, cuius per me licere sua vulgari isthæc explicandi ratione ac via uti, modo ex ea eliciat, non (ut vulgo fit) majorem & securiorem peccandi licentiam; sed majorem peccati fugam, animæ sanctimoniam, majoremque Dei amorem, quæ omnium*

D

scopus

scopus sunt. Agnosco præterea ex animo passionis Domini sapientiam tam esse profundam, ut que eam respiciunt, nunquam satis possint ab ullo exhauriri; ita ut rationes ejus, que hic recensitæ sunt & positæ, nequaquam omnem in ea exhauriant numerum: Ac licet exclusivo modo sint prolata, hoc sic sumi velim, me voluisse ita denotare, ceteras mihi quesitæ rei rationes non occurrisse, aut clarius perspectas non fuisse; imo mihi visum esse, ea que exclusa expresse sunt, expedire eo tempore ex hominum (iisdem abuentium) consideratione excludi. Denique, cum substitutio duplici sensu possit sumi, altero exclusivo, quo peccator Christum ita pro se vult substitui, ut se ipse interim ab ejus imitatione & conformitate excludat & excipiat: altero inclusivo, quo homo per gratiam Christi sese ejus vitæ ac mortis conformans, nec tamen se reputans adhuc dignum, qui coram Deo Patre se sistat, innuat se in Christum, eoque indutus, sive in eo latens, eum pro se (latente & absorpto in illo) substituit ac offert Patri, atque ita in Christo coram Patre se sistit. Priorem substitutionem, ubique fere obtinentem, solam volui rejectam: alteram minime. Quod quidem observatum velim.

### Disquisitio hujus loci.

1. Auctor declaraturus, se sententiam de satisfactione & justificatione forensi communem, a sua alienissimam, si ad sanctimoniam adplicetur, facile ac lubenter esse laturum, utitur verbo *repeto*, *repeto*, inquit, *cuius per me licere x. τ. λ.* Unde lector eorum, quæ antecesserunt, ignarus non potest non existimare, plura ejus generis jam fuisse præmissa, a me autem studio prætermissa. Quare quid in hac doctrinæ par-

tc

te præcesserit, is paucis informandus est; quandoquidem ipse textus longior est, quam ut huc transferri possit.

2. Notandum itaque est, nihil horum, quorum repetitionem Auctor insinuat, in monitis istis præcessisse. Quid vero præcesserit, id ordine recensibo.

3. Summam doctrinæ de *perfectionibus* Jesu Christi ejusdemque *sacrificio & satisfactione* c. III. traditam indicaturus, omnia refert ad *Christi exemplum*: *Valuit*, inquit, *Optimus Maximus sub hac periodo comparere ipsus inter mortales, simili, prout hi, carne indutus, eorundemque infirmitatibus onustus* (nimirum his Christo non imputatis, sed revera inhærentibus & ipsum sollicitantibus, uti cap. II. pluribus adserit) *quo ipsis per suum agendi modum* (h. e. sollicitationes peccati intra se devincendi, ut ibidem declaratur, & supra Dodecad. prioris Dissertationibus ultimis ex instituto consideratum est) *per vitam moriemque suam ostenderet, quo pacto se gerere, agere, ac pati debeant, ad vincenda gratiæ divinæ in ipsis impedimenta, nimirum distractiones atque oblivionem Dei, ipsorumque perversas propensiones; aut, juxta verbum sancti Petri ep. i. c. I. v. 18. quo ipsos pretioso sanguine suo a vanæ ac hæreditariæ conversatione redimeret &c.* Sic officium Christi sacerdotale ad solam *exempli* notionem restringit, abusus effato Petri aureo, quod tamen omnino agit de *satisfactione & redemptione forensi* (uti e Dodec. prioris Dissert. V. & VI. nec non VII. & VIII. constat) & quidem ut ab hac ipsa argumentum ducatur ad vanæ ac quasi per hæreditatem acceptæ conversationis

fionis fugam: quam vero applicationem Auctor male in ipsius sensus forensis, quem antecedens de *redemptione* locutio habet, negationem convertit.

4. Quibus ita propositis auctor addit, *Christum ad impediendas falsas in doctrinam suam glossas promisso Spiritu suo penitus inde seclusisse ac prohibuisse mendacii fontem, rationis humanæ activitatem & studia.* Utinam vir doctissimus minus activitatis rationi suæ sibi relictae, & minus credulitatis, respectu studiorum pseudomysticorum & Burignonianorum, in Oeconomia tua adhibuisset; sic certe illa plus haberet veritatis. Nam ipsum speciatim in hac doctrinæ parte, quæ de satisfactione & justificatione agit, suas potius ac Burignoniæ suæ ratiocinationes, quam Spiritum sanctum esse secutum, manifestum est. Et studia humana omnia, quando non intra magisterium Spiritus Sancti ac gratiæ continentur, doctrinæ Christi non famulari, sed dominari, si sint pseudomystica, siue litteraria, quis nescit? Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Pergo nunc in recensionem eorum, quæ Auctor de sensu satisfactionis & justificationis forensi modo dictæ isti *repetitioni* suæ præmisit.

5. Ipsum monitum illud secundum, quod pro Poireti causa tantopere urgetur, hæc habet: *Procul dubio displicebit nonnullis, quod minime locum dederim theoriæ huic scholasticæ, scilicet quum vindex Dei justitiæ requireret satisfactionem per infinitas passiones, quales a nobis haud poterant persolvi, eam ob causam necessarium fuisse Jesu Christi adventum, ut patiēdo vice nostra fungereur, nostrique in locum substituereur.* Hic veritas apostolica, tot typis adum-

adumbrata, & tanta cum cura prædicata, & ecclesiæ in-æstimabilis depositi instar cum aliis doctrinæ partibus relicta, Auctori nostro contemptim est *theoria scholastica*. Id quod non potest non rectius sentientibus cunctis juste displicere.

6. Sed audiamus incrementum istius *ἔξωθενισμῶς*, seu explosionis. Ita enim pergit: *Nemo tam in theologicis hospes est, quin sciat, jamdudum cogitatum illud scholasticum solidioribus & maxime orthodoxis theologis fuisse suspectum, qui eo ipso Socinianis paratam esse insultandi ansam conquerruntur κ. τ. λ.* Dogma prophetarum ac apostolorum cæleste, quod tot argumentis modisque in scripturis utriusque testamenti (quemadmodum Dissert. V. & VI. Dodec. prioris longa ferie demonstravi) adstruetum est, quot vix aliud ullum, vocare *cogitatum scholasticum*, prodit animum in eodem, & præcipue in hermeneuticis, fere extreme *hospitem*. Et hoc qui laborant, auctori nostro sunt theologi *solidiores & maxime orthodoxi*, h. e. Poiretiano more *Socinizantes*. Utinam istos nominasset? Sed tanta ipsi promachorum suorum fiducia non erat. Certe dogma istud non est *cogitatum scholasticum*, sed *propugnaculum*, Poiretianis & Socinianis armis longe validius ac invictum. Et quid est aliud, quam *Socinianum cogitatum*, quando auctor deinceps cum orthodoxis illis suis necessitatem passionum Christi non a justitia Dei vindici & immutabili (quam supra Dodec. prior. Dissert. II. demonstravi) sed a *veritate promissionum* deducit. Sed quam inepte, ex eadem demonstratione liquet.

7. *Quod ad me attinet* (pergit Auctor noster) *sc*  
D 3 *schola-*

*scholastica* isthæc *commentatio* *sanctificationis* *incentivum* *hominibus* *esse* *posset*, *certe* *eandem*, *quamvis* *falsam*, *nequaquam* *rejicerem*. En *principium* *theologiæ* *Poiretianæ*, quo *is* *e* *falsis* *vera*, *e* *falso* *dogmate* *veram* *sanctificationem* *promoveri* *posse*, in *thesi* *revera* *statuit*, *istud* *tantum* *hic* *negans* *in* *hypothesi* *de* *satisfactione* *&* *justificatione* *forensi*. *Quam* *operose* *autem* *arenoso* *eiusmodi* *fundamento* *sanctimoniæ* *studium* *superstruat*, *videbimus* *Dodec.* *hujus* *posterioris* *Dissertatione* *ultima* *in* *dogmate* *de* *ceremoniis* *papalibus*. *Doctrinam* *vero* *istam* *sanctificationi* *nequaquam* *obluclari*, *quemadmodum* *Poiretus* *in* *sequentibus* *perhibet*, *sed* *ei* *promovendæ* *adeo* *inservire*, *ut* *sine* *ea* *non* *esse* *possit* *vera* *sanctificatio* *&* *vera* *sanctimonia*, *hoc* *ipsum* *est*, *quod* *Dodec.* *I.* *Dissertat.* *VIII.* *Propositione* *XXV.* *sqq.* *ex* *instituto* *demonstrari*.

8. *Non solum sacra litteræ* (pergit *Auctoris* *nostri* *insectatio*) *de* *cogitatione* *ista* *scholastica* *plane* *silent*; *sed* *primis* *quoque* *christianis* *de* *necessitate* *incarnationis* *&* *passionis* *Jesu* *Christi* *ex* *professo* *differentibus* *nunquam* *ea* *in* *mentem* *venit*: *nullas* *enim* *tum* *alias* *proferebant*, *eum* *oculis* *&* *auribus* *mortalium* *se* *exposuisse*, *ut* *hi* *redderent* *se* *ipsi* *conformes* *κ. τ. λ.* *Quod* *Christus* *olim* *Sadduceis* *Matth.* *XXII,* *29.* *respondit*: *erratis* *μη* *εἰδότες* *τὰς* *γραφὰς*, *eo* *quod* *ignoratis* *scripturas*; *etiam* *Auctori* *nostro* *regerendum* *esse*, *dolendum* *sane* *est*. *Quanta* *cum* *luce*, *quantaque* *cum* *ubertate* *&* *emphasi* *scripturæ* *utriusque* *testamenti* *dogma* *hoc* *evangelii* *primarium*, *quod* *Auctori* *scholasticum* *commentum* *est*, *proponant*, *explanent* *illustrantque* *ac* *reperant*, *abunde* *constat* *e* *Dissertationibus*



nibus jam allegatis, quibuscum omnino conferenda est ordine quinta in Dodecade hac posteriore. Et non meis, sed ipsius demonstratæ veritatis viribus fretus longe sum certissimus, eam immotam & invictam, staturam esse in perpetuum, quavis *ἀντιλογία*, et si oseres ejusdem omnes vires suas in unum conferant, superiorem. Cum vero in ipsa tot typorum ac monumentorum Mosaicorum, torque oraculorum prophetorum luce, immo in ipso evangelicæ hypotyposeos, in Apostolorum scriptis radiantis, meridie Auctoris nostri oculi, præ anticipatarum hypothesium velamento, adeo caligaverint, ut dogma istud haud viderit, quid mirum est, illud & in Patrum ecclesiasticorum scriptis, ad quæ in reliquo Moniti II. contextu provocat, ipsum haud vidisse? Quod posterius ut ipsi pari demonstrationis opera ob oculos ponatur, eo magis hic arbitror esse supervacuum & ab instituto meo alienum, quo minus doctorum auctoritate ulla veritas nititur.

9. Hæc hætenus de iis, quæ in Auctoris Monitis allegatum locum præcedunt. Unde jam in antecessum liquet, quantum ille in recessu habere possit, & quid sibi velit verbum *repeto*, a quo ille inchoatur.

10. Si Auctor in perpeffionibus Christi profundam & inexhaustam Dei sapientiam agnovit, cur eam ipsam satisfactionis forensis viam, quæ illam demum in admirando justitiæ ac misericordiæ temperamento, maxime admirandam reddidit, duce scriptura non ipse admisit?

11. Quan-

11. Quando Poiretus ipse fateatur, se loqui *exclusivo modo*, h. e. ita ut a satisfactione & justificatione sensum forenssem plane excludat, habemus confitentem reum, seu confessionem ejusmodi instituti, quod erroneum est, Auctor aliis pro veritate obtrudere, & quod verum est, tanquam errorem eximere laboravit. Nec quidquam juvat ipsum, quod de abusu loquitur; cum manifestum sit, ipsum nec usum ejus doctrinæ agnoscere.

12. Nec istud effugium, quod in duplici substitutionis modo, uno exclusivo, altero inclusivo, quærit, causam ejus ornat. Non enim nescit, modum istum exclusivum plane improbari, atque ita sub ejus prætextu veritatem ipsam explodendam haud fuisse.

13. Quomodo autem modus aliquis inclusivus ab auctore nostro tandem haberi potest pro tolerabili? Nam modus iste aut verus est, aut falsus. Si verus est, is non tolerantia aliqua (quam tamen eidem re ipsa ne concedit quidem Auctor) eget, sed firmum requirit assensum, & genuinam docendi methodum, h. e. eam, quæ exclusivum istum, tanquam erroneum, plane seponat ac rejiciat. Si autem falsus est, ne tolerabilis quidem est in thesi. Cum autem Poiretus istum, ut paulo ante percepimus, omnino habeat pro falso & pro noxio, qua conscientia hic tam esse potuit liberalis in istius admissione, seu concessione?

14. Videamus vero, huic ipsi declarationi de modo inclusivi concessione errorem subesse. Nam vir doctissimus per *modum inclusivum* non intelligit ejusmodi

di imitationis studium, quo cum conjunctus sit sensus forensis, & quod hunc supponat, sed, sensu forensi, proprie sic dicto plane, plene & in solidum negato, is ipsi, ut e verbis ejus manifestum est, modus inclusivus est, quo quis *inherentis justitiæ imperfectione deprehensa in arctiorem cum Christo communionem tendat, & ita se in ipsum insinuet, ut in eo quasi lateat & absorptus sit, & sic se in Christo coram patre fistat.* Id quod cum ad doctrinam de renovatione pertineat, iis efferre verbis, quibus videatur ad sensum satisfactionis & justificationis forensis referri, est imperitis lectoribus glaucoma objicere. Jam re ipsa ad vivum sic excussa manifestum est, liberalitatem & moderationem Auctoris nostri in sensu exclusivi concessionem esse nullam, cum sensus hic demum ipsi nihil sit, quam ipse ejus error. Utinam vir alias perspicacissimus minus se mancipasset magistræ suæ Burignoniæ! Huic vero quantum debuerit in Oeconomia sua universa, vel e sola hac ejus confessione colligas, quando in iisdem Monitis fol. D. ita ait: *In hoc Oeconomie opere virginem illam qualibet propemodum pagina citare debuissim, si quæ introductionis in veritatem, aut ejusdem illustrationis ansam in ipsa mihi dederunt, attingere me oportuisset.*

E

PRAE-

PRAESES  
RESPONDENTI


*Sal. dicit plurimam.*



*Exercitationum Academicarum, que Disputationum nomine appellantur, ea est ratio, ut non exiguam, saltem mediocrem, studiorum & ingenii habilitatem supponant, & parrhesiam insigniter augeant: atque ita publicum sunt documentum, eos, qui Respondentium, seu defensorum, munere in iis digne funguntur, non sine fructu in Academia vixisse. Quale specimen ut etiam tu, carissime **Hiesel** proxime in actu disputa-*

spud publico edas, est quod spero, & quod mecum expectat eruditum ac frequens, quod habemus, auditorium. Et cum doctrinam momenti gravissimi de justificatione adversus corruptelas dogmaticas sis defensor, id etiam ages per omnem vitam, ut ab aliis etiam aliorum errorum corruptelis eam serves integram & incorruptam. Non autem servabis satis integre digneque, nisi eam in ipsa praxi tibi etiam atque etiam habueris commendatam, h. e. nisi, quid sit justificari, & quis justificatus, ac quae justificationis factae criteria, quinam fructus, ipse in ipsius praxeos tua ordine experiaris. Haec enim experientia ab hoc fidei articulo errores dogmaticos ita sejungit, ut simul practici illi, qui in ejusdem abusu versantur, & presentissimum anime ac saluti periculum inferunt, evitentur. Probe itaque memineris, quam egregius sit locus confessionis, quam ecclesia nostra habet, symbolica, quando

*p. 17. dicitur: Tota hæc doctrina de justificatione ad certamen perterrefactæ conscientiæ pertinet, nec sine illo certamine intelligi potest! Certabis ergo hoc fidei justificantis certamen, & ita quidem, ut ejusdem brabeo aliquando beeris, & interea in ducendis ad certamen hoc aliis multos in ecclesia fructus feras. Vale in Domino, ipsique servi & vive sincere ac in solidum. Hal. Sax. ips. Cal. Sept. M DCC XXI.*



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Mt:









47

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
DODECADIS POSTERIORIS  
NONA,  
DE  
PRIMA SPECIE  
JUSTIFICATIONIS,

QVALEM  
VIR CLARISSIMUS,  
PETRUS POIRETUS,  
EX INGENIO SUO ἀντιγράφως CONFINXIT:

QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
die Septembr. hujus M DCC XXI anni,  
PRAESIDE

D. JOACHIMO LANGIO,  
S. S. THEOL. PROFESS. ORDINAR.  
ET ACADEMIAE h. t. PRO-RECTORE,

RESPONSIONE PUBLICA  
DEFENDIT  
JOANNES ERNESTUS Biesel/  
REGIOMONTANUS NEOMARCHICUS,  
S. THEOL. CULTOR.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
Typis JOAN. FRIDERICI KRÖTTENDORFFII, Acad. Typ.

